

Sibthorp, John ; Smith, James Edward [Editor]: Flora Graeca, sive plantarum rariorum historia, quas in provinciis aut insulis Graecis legit, investigavit et depingi curavit John Sibthorp: hic illic etiam insertae sunt pauculae species quas vir idem clarissimus, Graeciam versus navigans, in itinere, praesertim apud Italiam et Siciliam, invenit (Voluminis primi - Fasciculus primus): Vol. I.

London, 1806

Seite 110

26

TRIANDRIA MONOGYNIA.

Radix bulbosa, solida, fusca, depressa, suprâ sobolifera, basi fibras exserens, tunicis pluribus, membranaceis, enervibus, spadiceis, nitidis, demùm longitudinaliter multifidis ac fibrillosis, vestita. *Folia* radicalia, 3—6, erecta, linearia, revoluta, glabra, saturatè viridia, nervo pallido, squamis tribus vaginantibus fuscis, etiam radicalibus, obvoluta. *Flores* radicales. *Spatha* monophylla, acuta, pallidè fusca, tubo subæqualis. *Corollæ* tubus filiformis, luteolus; limbi laciniae saturatè aureæ, ellipticæ, concavæ, subæquales, patentes. *Stamina* corollâ breviora, inclusa, tubo inserta. *Antheræ* ochroleucæ. *Stylus* filiformis, staminibus parùm brevior. *Stigma* inclusum, fulvum, laciniiis æqualibus, linearibus, apice subdilatis, denticulatis vel erosis.

A *Croco verno*, etiam a *Croco flavo* in hortis vulgari, differt tunicâ radicali membranacæ, tenui, nequaquàm nervosâ, stigmatisque laciniiis angustioribus, ac minùs cuneatis. Anne in hortis nostris, cum speciebus pluribus aliis, sub nomine *Croci verni* vel *sativi*, confusa?

a, a. Corollæ laciniae.

c. Stylus.

b. Tubi pars suprema, stamina gerens.

d. Laciniae stigmatis.

IXIA.

Linn. G. Pl. 26. Juss. 58.

Corolla sexpartita, æqualis, supera. *Stigma* filiforme, trifidum.
Spatha bivalvis.

TABULA 36.

IXIA BULBOCODIUM.

IXIA scapo subunifloro brevissimo, foliis linearibus, laciniiis stigmatis bipartitis.

I. Bulbocodium. Linn. Sp. Pl. 51. Jacq. Ic. Rar. v. 2. t. 271. Coll. v. 3. 265.

Bulbocodium crocifolium, flore parvo violaceo. Tourn. Cor. 50.

Sisyrrinchium Theophrasti. Column. Eeprh. 327.

Romulea. Maratt. Diss. 13.

καρχα hodiè.

In montibus maritimis insularum Archipelagi frequens. 71.

Radix bulbosa, solida, subrotunda, basi sobolifera, tunicâ multiplici, lævi, apice multifidâ, vestita. *Folia* radicalia, arcuato-patentia, linearia, acuta, canaliculata; basi membranacea, vaginantia, squamâ brevi, scariosâ, solitariâ, obvoluta. *Scapus* solitarius, foliis brevior, filiformis, erectus, uni- aut biflorus, demùm arcuato-recurvus.